4621

QUATUOR ORATIONES

HABITÆ IN SACELLO

Coll. Div. JOHANNIS Evang.

IN

ACADEMIA CANTABRIGIENSI

CORAM

REVERENDO ADMODUM PRÆFECTO,

SOCIIS,

RELIQUAQUE EJUSDEM COLLEGII

JUVENTUTE ACADEMICA.

K Saint John's C

Autore PAWLET St. JOHN,

Coll. D. JOH. Evang. A. B.

TULLIUM *quisquis studet Æmulari,*
——— ceratis ope DÆDALEA
Nititur Pennis ———

EDITIO SECUNDA.

OXONII:

Prostant apud DAN. PRINCE; & JOANNEM WOODYER,
Cantabrigiæ. MDCCLXXII.

2045

BRITISH MUSEUM

INJUSTE
AB
ANTONIO
INTERFECTUS EST
M. TULL. CICERO.

Reverendè admodùm PRAEFECTE,
Viri Doctiſſimi Spectatiſſimique
Corona quaquaversùm florentiſſima.

TANDEM aliquando, ACADEMICI, quod precatus eſt à JOVE OPTIMO MAXIMO, cæteriſque DIIS IMMORTALIBUS M. T. CICERO, eo die, quo ſe vitamque ſuam pro ſalute Patriæ devovit, ut defenſionem, quam ſibi tunc per ANTONII gladios vivo non licebat, pro ſe tamen omnes Boni mortuo ſuſciperent, id profectò beneficii hodiernus dies impetravit.

Hæc illum pro Republicâ ſemper laborantem, hæc pro eâdem morientem refecit Conſolatio: Præclarè enim ſecum actum fore putabat, quodcunque tandem de ſalute fieret, modò de Gloriâ tantùm nè periclitaretur.

Plurimas ſæpè cauſas, JUDICES, eaſque graves (nonnullas etiam me agente) audiviſtis; hâc graviorem profectò nullam. In cæteris enim ſæpe de Fortunis, aliquando etiam de capite, de gloriâ rarò admodùm dimicatum eſt: & erant eæ porro ejuſmodi, quæ ad unum plerumque Hominem, aut (ut maximum dicam) ad unam tantum Rempub. pertinerent: In hâc verò, quam præ manibus jam habetis, contentione, non agitur de unius Capite, ſed multorum gloriâ, non de eo, quid CICERONI tantùm, ſed quid omnibus bonis Civibus, propter egregia ſua in Rempublicam merita, à VOBIS in poſterum ſperandum ſit: neque eorum quiſquam eſt, quos undique intuentes, & hujus exitum Judicii expectantes videtis, qui non, quum virtuti CICERONIS favet, tum ſibi, tum PATRIÆ, tum bonis omnibus conſulere videatur. Ubi enim reperientur ii, qui pro ſalute & dignitate Imperii, pro communi Libertate ſe, & Fortunas ſuas in diſcrimen offerre audeant? Imò, quem non ſibi potiùs, quàm Reipublicæ conſulentem inveniemus, ſi eâ Lege vivant ejus Liberatores, ut non modò impunè, verùm etiam cum ſummâ Interfectoris gloriâ interfici poſſint?

Quare adeſte animis, JUVENES, & cogitate porrò, non jam de unius tantùm CICERONIS, ſed omnium ubique fortiſſimorum Civium, quotquot extremum pro Republicâ ſanguinem effuderunt, non tàm de ROMÆ, quàm BRITANNIÆ VESTRÆ gloriâ decertari: utrùm ſcilicet Iis, qui, per omnem vitam, propterea quòd pro bonis contrà improbos

probos ſentirent, peſſimorum Hominum invidiâ carere non poterant, nè mortuis quidem ab eorum Injuriis conquieſcere liceat, an his procellis jactatam, atque agitatam Virtutem, per Vos, & VESTRAM Juſtitiam, Fidem, Miſericordiam recreari, & confirmari tandem patiamini.

Etenim, ſi cuiquam juſtus à Poſteris honos habitus eſt ob conſervatam PATRIAM, in nullo profectò juſtior, quàm in M. TULLIO, reperietur.

Quanquàm in hâc Cauſâ, JUDICES, rebus omnibus à CICERONE, tum CONSULE, tum PRIVATO, pro Reip. ſalute præclarè geſtis ad hujus defenſionem non abutemur. Nolite, Nolite, ei magis parcere, quòd ſe bonis omnibus Amicum præbuerit, ſi ANTONIO injuſtè fuerit inimicus: Neu proſit, admotas toties à CATILINA Sacris DEORUM Templis Flammas, & Incendia, intentatum pleriſque exitium, omnibus ſervitutem, toties extinxiſſe, ſi, in repellendis ANTONII gladiis, aliquid, non dicam, morte, ſed vel reprehenſione quidem, ac non potiùs omnia laude digna, præſtiterit.

Quòd ſi oculis tandem videritis, M. TULLIUM, quum de omnibus aliis benè, tum etiam de ANTONIO (quantum quidem per ſalutem Reipub. fieri liceret) optimè ſemper, nunquam malè, meritum, tum denique orabo, atque obteſtabor, Vos, JUDICES, ut tantum Orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori, & juſtæ Iracundiæ concedendum putetis.

Plurimos certè Triumphos ROMANI armatis, plures tamen nulli, quam Togato CONSULI de-

buêre. Sint clari Illi quidem (nec immeritò) quòd alienas gentes expugnaverint, Hic, quòd ſuam defenderit: Illi, quòd novas Victorias acquiſiverint, Hic, quòd acquiſitas confirmaverit. Victorem fateatur SCIPIONEM CARTHAGO, POMPEIUM ITALIA, CÆSAREM BRITANNIA, CICERONEM ROMA: Cæteris quidem ducibus, exteras Nationes, Hoc vero ſub Imperatore, ipſam ſe ſuperaſſe videtur: Bellum nobile ſanè, ſed & difficillimum. Nihil enim jam erat, quod ab externo Hoſte timeret: non tum CARTHAGO, quam deleverat, non ITALIA, quam debellaverat, non BRITANNIA, quam ſubjecerat, ſed ROMA ROMÆ metuenda. Intus incluſum in venis Reipub. periculum, Intus, Intus non jam latebat, ſed impunè graſſabatur Hoſtis: cum luxuriâ, cùm amentiâ, cum ſcelere pugnandum. Quanquam ſunt Illi quidem in uno ſaltem loco feliciores, quod iis breve cum externo, huic æternum cum domeſtico hoſte, bellum fuerit gerendum.

Ecce enim fœcunda ſcelerum monſtra, alia ex aliorum ſanguine in PATRIÆ ruinam ſubindê pullulantia, non uno, ſed mille ictibus debellanda.

Quis verò putaret aut poſt CATILINAM CLODIUM, aut poſt CLODIUM CÆSAREM extare unquam potuiſſe? Extitit tamen (credite POSTERI) & poſt CÆSAREM ANTONIUS, & ita extitit, ut fatalis peccandi exitus, peccandi non timorem aliquem, ſed Audaciam potiùs peperiſſe videretur.

Quorum Iſte, non tam ſceleris, quam Temporis, Intervallo, non dominandi libidine, ſed occaſione, ultimus,

ultimus, quicquid aut furor in suppliciis, aut avaritia in Rapinis, aut luxuria in flagitiis, exercere, quicquid denique nec CATILINA sperare, nec cogitare CÆSAR unquam potuisset, id omne effectum dare non dubitavit.

Hujus per Sacrilegia, ROMANI, quùm jam nè DEOS quidem in suis Urbibus haberent, ad quos confugerent, in CICERONEM omnes se conjiciunt: Tempus jam venisse aiunt, non ut commoda sua, sed ut Vitam, Salutemque totius Italiæ ab ANTONII scelere tueretur. Tulit graviter, & acerbè, Judices, in eum se deductum esse locum, ut Rempub. quam Juvenis defenderat, Senex desereret; Puduit CATILINÆ gladios contempsisse, ANTONII tandem pertimescere: Ubi tamen videret, parùm, aut sibi in Civitate, aut Oratori inter Arma, fore præsidii, statuit, quoniam Repub. bonâ frui non licebat, at carere malâ, & quamcunque tetigerit benè moratam Civitatem, in eâ conquiescere, donec impendens PATRIÆ Procella cum ANTONII Consulatu desæviret.

At, Quò frustra properas, O MARCE TULLI? Heu! nescis, nescis, Te ex plurimis periculis, & insidiis, atque ex mediâ morte, non ad tuam, sed ad PATRIÆ salutem, reservatum! Te secundò jam exulantem non DII, non Homines, non Venti ipsi patiuntur, propitii illi quidem ROMÆ, utinam & non infausti Tibi!

Sic à SUPERIS revocatus ROMAM proficiscitur, non recusans, quò minùs in extremo Spiritu, siquam opem Reipublicæ afferre posset, experiretur; AN-

TONIUMQUE tum per ſuas, tum OCTAVII copias furentem ejecit, ejectum profligavit. O fatalem & PATRIÆ, & CICERONI ipſi Triumphum! O verè luctuoſam utriſque Victoriam! Utriſque tamen feliciſſimam, ſi ANTONIUS, ſicut & ſcelus, ſic etiam Fortunas CATILINÆ per omnia imitatus, non tantùm ejectus, fugatus, verùm etiam cum eodem interfectus fuiſſet.

Vivit autem Ille, & Vivit non ad deponendam, ſed ad confirmandam Audaciam.

Fractus enim, Fuſuſque Bello, Rempublicam non jam per vim, ſed gratiam, non per ſe, ſed per OCTAVIUM petit. Proh DEUM, atque Hominum fidem! molitur ANTONIUS reditum in PATRIAM, per eundem, à quo ejectus fuerat, nec reditum tantùm, verùm etiam Conjurationem.

Non enim, jam, ut impunè ſit Sibi, ut Reipublicæ malè, non ſuum (uti victum decebat) ſed, quod nè CONSUL quidem auſus fuerat, CICERONIS caput depoſcit, nec depoſcit tantùm, ſed & impetrat, &, quod Majus eſt, ab OCTAVIO.

O Execrandum fœdus, non niſi humano ſanguine ſanciendum! Erigitur ſublime in Foro ſpectandum Populo Caput! Proh Pudor! En divina CÆSARI, qui Rempublicam oppreſſerat, Jura perſolvuntur, CICERONI, qui defenderat, negantur etiam Humana!

O miſeram conditionem, non Adminiſtrandæ, ſed Conſervandæ Reipublicæ! O excubias tuas, M. TULLI, Lugubres! O flebiles vigilias! O Cuſtodiam etiam ROMÆ tuæ infelicem! At, ſi Sceleſtum

leſtum eſt amare PATRIAM, pœnarum tuliſti ſatìs. Nonnè ſatìs fuerat, Te, in PATRIÆ ſalutem natum, PATRIÆ ſemper vixiſſe, niſi & pro eâdem cecidiſſes? aut, ſi fortè pro PATRIA, dignus certè, qui Fato non inhoneſtè perires.

Ubi nunc SENATUS eſt, quem Secutus fuerat? Ubi Studia Municipiorum? ubi ITALIÆ voces? Illumnè non interfectum modò, verùm etiam inhumatum quieti aſpiciunt, quem exulantem ferre non potuere? Lugent Illi quidem, ſed taciti. O verè Servos, quibus eripuit ANTONIUS etiam dolendi Libertatem! Te miror, OCTAVI, ejus ſalutem tueri noluiſſe, ſine quo non potuiſti tuam. Revocare Te Ille in PATRIAM per Hos, Tu illum per eoſdem non PATRIA Solùm, ſed etiam luce ſpoliare non dubitâſti. Ubi denique Tua, M. TULLI, quæ plurimis fuit auxilio, Vox, & Defenſio? Tibi ea Soli, quæ nunquam aliis defuit, nihil poteſt opitulari.

O flebile Sacræ illius Linguæ Silentium! quam non jam fulminantem pertimeſcit, ſed inermi inſultat ANTONIUS, & quaſi aut illi nocere, aut ſibi prodeſſe poſſet inanis ultio, avidos haurit cum ſanguine Triumphos.

O Impudentiam ſingularem! O Audaciam non ferendam! ultrò jam laceſſit eum, à quo non potuit etiam ſe impunè defendere! Accuſat non jam ANTONIUM CICERO, ſed CICERONEM ANTONIUS: Negat enim ſe Parricidam egiſſe, ſed puniiſſe: ait, ſe non ſuam, ſed CÆSARIS vindictam ſuſcepiſſe.

Videte,

Videte, quæſo, ACADEMICI, quàm miſera ſubterfugia quærat impatiens lucis ſcelus.

Perhibet ANTONIUS CÆSAREM à CICERONE interfectum. Unde verò conſtat interfeciſſe? num ex eo, quòd quum BRUTI, CASSII, cæterorumque, qui huic facinori interfuêre, non fama modò, verùm etiam gloria per omnes Terras longè latéque peragraret, adeo nihil mentionis, ut ne vel minima quidem ſuſpicio inciderit de CICERONE? Illud profectò eſt: neſciebat ANTONIUS, quomodò hoc tantum beneficii Reipublicæ evenire poſſet, quod ad CICERONEM aliquo modo non pertineret.

Finge tamen, ANTONI, reum non facti modò, ſed criminis, ſed Parricidii (quo quidem quid majus aut à Te peti, aut à me concedi poſſit, planè non video) concedo tamen: fuiſſet Ille quidem dignus, qui pateretur, qui à Te pateretur, indigniſſimus; & omne id, quodcunque tandem eſſet, ſupplicii, quod fuerat in illo juſtum, fuerat in Te profectò injuſtiſſimum. Æquumne Tibi videtur, unum idemque facinus maximis in BRUTO honoribus, in CICERONE, ſuppliciis afficere? Illum non modò incolumem à morte liberare, ſed gratulationibus, Imperio, Provinciâ ornare, huic verò & vivo ſalutem, & mortuo Tumulum negare? Vide ANTONI, quam injuſtum ſit, non licere CICERONI id impunè admiſiſſe, quod BRUTO licuit etiam glorioſè.

At peccavit CICERO in ANTONIUM: CONSULEM in exilium abire juſſit, coegit: Faſces, & ſanctam graviſſimæ Civitatis Autoritatem vi & armis violavit.

Quodnam

Quodnam autem tantum crimen aut in ſe, aut in PATRIAM eo die admiſit TULLIUS, quum Rempublicam TROJANO velut Equo laborantem levavit, fecitque, ut à quo Cives legibus non poterant, ab eo mœnibus tuti conquieſcerent? Nefas ergò fuit, in ſummo Reipublicæ periculo, & neceſſitate, copias in ANTONIUM parare, quem non BRUTUS ſolùm, non SENATUS, ſed univerſa pœnè ITALIA, hoſtem denunciaverat, an potiùs, non parare, ſcelus? Qui ſi rediiſſet (rediiſſet autem, niſi obſtitiſſet TULLIUS) quàm fatalem (Dii boni!) ſecum attuliſſet diem? Rempublicam, quam Togatus oppreſſerat, armatus non vulnerâſſet? Quum tanta fuerat in CONSULE crudelitas, quanto major in Victore metuenda?

O felices Animas, Quæ pro PATRIA, & contra ANTONIUM dimicantes, ſupremum in Victoriâ Spiritum effudiſtis! Immortale Vobis & Virtutis, & Pietatis Monumentum SENATUS POPULUSQUE ROMANUS, manibus penè ſuis, extruxit. Videte, Videte illum, per quem extruxit, non Monumenti honore, ſed Tumuli Præſidio, ſed Sepulturæ beneficio carentem.

Vos ab Urbe furentem ANTONIUM avertiſtis: Vos redire molientem fortitèr repuliſtis. Viciſtis, Viciſtis Vos equidem, & viciſtis non ANTONII tantùm, verùm etiam Temporis Invidiam: En verò Illum, per quem viciſtis, etiam de gloriâ hodie periclitantem!

Sed jam præ lachrymis loqui non possum: His tamen non movetur TULLIUS: negat enim sibi, negat ANTONII vulnera dolere, quæ dedit; Vox siqua dederitis, dolitura non negat.

Nec verò illum nunc sui aut pudet aut piget Fati: (Quid enim Sanctius est, quàm pro PATRIA occumbere, quàm per ANTONII dextram perire, quid honestius?) at verò, (id quod multò minùs ferendum est) non jam ab Hostibus, sed amicis, non malè aliquandò de Republicâ, sed semper optimè meritis, ab optimis Civibus optimum Civem, se denique à Vobis vexari, damnari, violari, & quod vi, quod ferro, quod facibus, non CATILINA, non CETHEGUS, non ipse denique ANTONIUS delere unquam potuit, id à VOBIS, & VESTRA Autoritate, Sanctitate, Religione dissipari, & piget, & pudet.

VOS, VOS appello, Sanctissimi JUVENES, Qui multum & PATRIÆ, & CICERONI studium impendistis; VOBIS non modò inspectantibus, sed etiam togatis, & huic Judicio præsidentibus, hæc tanta Virtus rejicietur? damnabitur? violabitur? nimis urgeo: non debeo, AUDITORES humanissimi, quod in tantis periculis fieri solet, tentare quonam dicendi modo misericordiam VESTRAM commovere possim: Occurrere solet Illa miseris, & calamitosis nullius Oratione evocata; quoties verò de oppressâ Virtute agitur, etiam præcurrere.

Quousque tandem abutêre, ANTONI, patientiâ nostrâ? Quem ad finem sese affrænata jactabit Audacia? Nihilnè Te Sanctissimum hoc oppressæ

Virtutis

Virtutis Præſidium? nihil conſenſus bonorum omnium? nihil denique Horum ora vultuſque movêre? Quod quidem eâ in Civitate CICERONI non fuerit, ubi nec Juſtitiæ eſſet locus; quòd Sanctiſſimam optimi Viri Religionem Impietate, Virtutem Invidiâ, Salutem Ferro opprimere, quòd, inquam, hoc tantum ſceleris & audere, & effectum dare potuiſti, id profectò minimè mirandum. In Judicio verò, & in eo Conſilio, in quo ex cunctis Ordinibus Sanctiſſimi JUVENES judicarent, nunquam exiſtimavi Spem ullam habituros eſſe CICERONIS Inimicos, ad ejus non ſalutem modò extinguendam, ſed etiam gloriam per tales Viros infringendam.

Non enim hîc ex metu, ſed ex Veritate Cauſæ penduntur: Eos, ANTONI, nactus es JUDICES, qui, quod æquum eſt, ſentiunt, audent; non qui Armorum timore, ſed Juſtitiæ Reverentiâ permoventur.

Ergonè, quod vel cogitâſſe, CATILINÆ maximum apud omnes odium conflaverat, id etiam perpetrâſſe, commendationi Tibi apud Poſteros & Gloriæ fore putaviſti? aut interituram prorsùs cum CICERONE tam nefandi Criminis memoriam? Non tamen uſque adeò omnem in uno Homine Pietatem, non omnem omninò Eloquentiam extinxiſti. Vivit etiam nunc in his CICERONIS Ingenium, vivit Odium ſceleris, vivit Parricidii deteſtatio. Hujus tam juſtæ vindictæ Voluntatem a ſe, Vim autem, & Impetum penè omnem ulciſcendi CICERONIS à CICERONE ipſo accepêre. Hinc

quicquid Telorum aut odium depromere, aut torquere Indignatio poſſit, totum hoc in laceram nominis Tui memoriam avidi effundemus, & ſiquo fortè ſenſu tangit defunctorum Animas læſi apud Vivos nominis Injuria, id efficiemus, ut tantum ex malè Audiendo concipias dolorem, quantam in agendo cepiſti Voluptatem.

Præclarè igitur Tecum actum eſt, Fortiſſime, dum vixiſti, nunc verò etiam Sanctiſſime Conſul.

Vixiſti ſatìs PATRIÆ, ſatis etiam Tibi, quoniam & ad Gloriam ſatìs. In Animis Tu noſtris omnes Triumphos Tuos, omnia Ornamenta honoris, monumenta Gloriæ, laudis Inſignia collocâſti.

Nec tamen quicquam in his muti, nihil taciti reperietur. In memoriâ noſtrâ alentur, creſcent ſermonibus, literis inveteraſcent Rerum Tuarum Præconia. Hîc vives omni, ſicut Exemplo, ſic & Invidiâ major.

Quod potuit Vis, & Injuria, & ſceleratorum Hominum Furor detrahere, abripuit, abſtulit, diſſipavit: Quod Viro Forti adimi nunquam poteſt, id verò manet, & permanebit.

HONOS ALIT ARTES.

Reverende admodùm PRÆFECTE,
Viri Doctiſſimi Spectatiſſimique
Corona quaquaversùm florentiſſima.

IMPRIMIS mihi lætandum jure eſſe video, quòd eam hodiè nactus ſum dicendi MATERIAM, in quâ Oratio nemini deeſſe poteſt; Eos AUDITORES, quos quum Humanitas æquiſſimos Judices pollicetur, tum maximè præclara illa Fortunæ & Ingenii FELICITAS Teſtes etiam Sanctiſſimos adhibuit; Eum denique LOCUM, ad agendum ampliſſimum, qui, quum maximam erga DEOS IMMORTALES, tum nonnullam erga MUSAS etiam Religionem denunciat,

Quam enim Ampliorem Eloquentiæ Materiam reperias, quàm GLORIAM, ipſius Eloquentiæ Parentem? Quâ de Re Orator feliciùs dicat, quàm de illâ, unde id etiam accepit, ut de aliis feliciter dicere poſſit? aut quonam tandem in loco commodiùs de MUSARUM honore, quàm in Sacro MUSARUM Templo diſſerendum?

Quod

Quod autem ad Vos attinet, ACADEMICI, magna quidem ſunt, quæ aliis in VOBIS etiam nunc laudare, majora, quæ in poſterum ſperare dediſtis, ſed quæ tamen magnis excitata ſunt Præmiis ad Immortalitatem. Eſt profectò, cur Vos de Veſtro Ingenio, de VOBIS PATRIA glorietur: Eſt quod Naturæ multum, multum etiam, quod Fortunæ debeatis. Non enim omnibus eadem, quæ VOBIS, permiſſa Expectatio, non idem conceſſus Honor, non idem MECÆNAS, privatæ Induſtriæ non privatus Remunerator: Tales eſſe oportuit, quos Talia Emolumenta ad laborem provocârunt; Tales eos, qui in ARTIBUS colendis non magis MUSARUM honori, quàm ſuo litârunt; nec mirum, eos maximum laudis, & Gloriæ fructum meruiſſe, qui maximum perceperint.

Extorquebit igitur a VOBIS Oràtio noſtra, ſi minùs pro dignitate, at pro Veritate ſaltem ſuâ commune ſuffragium, ſi minùs laudem apud Vos, at fidem certè repertura.

Quonam Fato fieri dicam, ut ARTES eoſdem penè, quos Stellæ, motus obtinuiſſe videantur? Utræque enim curſum ab Oriente inchoatum ad Occidentem paulatim propagârunt: Utræque & Periodos, & Eclipſes etiam ſuas tulêre; Utræque per omnia alia ſibi haud multùm abſimiles, niſi quòd, quum Stellis ex nimiâ PHOEBI ſui Vicinitate Obſcuritas, hinc lux & ſplendor ARTIBUS acceſſerit: Torpere Hæ nimirùm, & latitare, quoties major eas diſtantia ab APOLLINE ſuo disjunxerit, à propiori

à propiori autem hujus Influxu & lucem, & Calorem omnem derivare.

Quàm fatali Virtute varius PRINCIPUM aſpectus MUSARUM labores Affecerit, in ipſâ MUSARUM prole legimus, quarum nulla adeò obſcura eſt, quæ ſuum non in fronte Parentem ferat.

Jacet in carmine ſuo CODRUS, frigere videtur cum Poemate Poeta, palámque miſero Homuncioni tenuitatem Fortunarum Ingenii Tenuitas exprobrare.

In HORATIO autem, quis eſt, qui vel primo intuitu non CÆSAREM videat, & FORTUNAM, utrumque in Paginâ luxuriantem? Quis, qui non æmulam Ingenio gloriam, & parem in utroque ſublimitatem Poetæ gratuletur? Adeò JOVEM amat Parentem genuina MINERVA.

Senſere hoc præclari Illi in Antiquis olim ſæculis HEROES, qui æternum Virtutis & laborum ſuorum Præconium verſibus mandari voluerunt, ſenſêre, inquam, eos maximis Honoribus afficiendos, à quibus Divinos Ipſi Rebus ſuis Honores ſperarent. Dederunt igitur Immortalitatem, ut eandem acciperent; non parcâ uſi in alendo eorum Ingenio liberalitate, quibus memoriam nominis ſui literis alendam commendârunt.

ÆGYPTUS, tam doctorum olim Virorum, quàm Cerealium ſemper Donorum ferax, ſe non tantùm fruges cæteris Nationibus, verùm etiam ARTES intuliſſe gloriatur. Duplici nimirum Ubertate beata Tellus: quarum alteram Cœli, & NILI ſui, alteram,

alteram, quùm aliorum Principum, tum PTOLEMÆI maximè benignitati debuit.

Hinc, mutatis tandem Sedibus, in GRÆCIAM MINERVA tranſmigravit, neque in obſcuro GRÆCIÆ Angulo Civitatem, ſed in ſummâ Civitate Imperium affectavit, tum primùm Templo verè digna, quum Templo digna cenſebatur.

Hi Honores, hæc Altaria MUSIS conſecrata ATHENIENSES non modò conficere, ſed & ſcribere Bella, & parem in utroque vim & Audaciam edocuêre; Hæc ferrum Militi, Oratori Ingenium acuêre, feceruntque, ut non minorem Hic Victorias recitando, quàm reportando Ille, gloriam compararet.

Hinc DEMOSTHENI, hinc PERICLI, eadem, quæ dignitatis, incedit Styli Majeſtas, qui niſi JOVEM Regnantem Autoritate, nunquam Fulminantem Eloquio expreſſiſſent ——

Non ſonarent adhuc in Carmine PINDARICO Currus OLYMPIACI, niſi eadem, quæ Aurigam, Poetam meta accendiſſet, niſi, quam alienis detulit, ſuis temporibus Palmam affectâſſet.

Sic cum ATHENIS ſuis floruit MINERVA, gratulata ſibi eos potiſſimùm ſupplices dari, qui aliis ferè omnibus ſupplicibus uterentur.

Quùm autem victa Civitas externo Hoſti ſuccubuiſſet, expiravit protinus cum Libertate Ingenium, concidit jam extinctum DEMOSTHENIS Fulmen, languebat fractus cum Republicâ Orator, nec MUSÆ eos ſibi ſervos ulteriùs admiſêre, quos FORTUNA aliis ſervire coegiſſet.

Fugit

Fugit illico ardentes Aras Violata à BARBARO Victore DEA, TROJAMQUE, melioribus jam Auſpiciis renaſcentem, ſuumque iterum CAPITOLIUM aſcendit.

Excepit generoſam Hoſpitem non invita ROMA, & Civitate primùm, deinde Templis exulem donavit.

Audimus ergò denuò tonantem ROMÆ DEMOSTHENEM, Audimus furentem in ITALIA PINDARUM: miramur antiquum illum GRÆCIÆ Genium, unà cum GRÆCIÆ Fortunâ, in ROMANA Caſtra devolâſſe.

Aſſurgit æmulus HOMERO cum VIRGILII Gloriâ VIRGILII ſtylus; Totum in ÆNEA AUGUSTUM legimus: Ardet ubique cum ILIO ſuo POETA, FAMÆQUE, ſuo Vocalem Nomine, audit, dum depingit, TUBAM.

Novo autem incaluit Igne ſub NERONE ROMA, non ſacro illo & Poetico, quali AUGUSTUS accendit, ſed quali eripuit ÆNEIDA: Regnat non jam APOLLO, ſed VULCANUS: Ergò ille fraude LAOMEDONTEA Urbe ejectus ad Oves iterum ſuas relegatur, ruſticum quid, & durius ſonans, quàm quod AUGUSTI Aures pati conſueverant; donec longo pòſt Tempore à TRAJANO in Civitatem revocatus, rediit quidem, ſed ita rediit, ut, velut Umbra Terris reſtituta, pallidior quaſi, & ſui diſſimilis admodùm videretur.

Has Fortunæ mutationes, unà cum Politico, ſubiit MINERVÆ Imperium, Has viciſſitudines MUSARUM PARNASSUS, non adeò ſecurâ ſublimi-

tate ſupra reliquam GRÆCIAM evectus, ut non communi GRÆCIÆ Fato ſuccumberet. Sic Illæ, quibus AQUILÆ ROMANÆ vim & Fulmen toties ſuppeditaverant, cum iiſdem fractæ & inermes ſubitò conciderunt.

Sed quid ad Antiqua Illa ſecula, longo & loci & Temporis Intervallo disjunctiſſima, recurrimus? quaſi verò noſtra Ætas, noſtra Reſpublica domeſtica Exempla non ſuppeditaret.

Suppeditat (pace tuâ, PATRIA, dicam, vereor enim ne ſceleratè dicam in Te, quæ pro LUDOVICO dicam piè: dicam tamen) ſuppeditat non ignobile LUDOVICUS; cui neſcio utrùm plus GALLIA ſua debeat, quòd in Re Literariâ, an quòd in Militari tam brevi Tempore tantum profecerit, ut ſeſe in utrâque BRITANNIÆ noſtræ æmulam penè glorietur. Plures ille MUSIS, quàm MARTI alii, Manubias conſecravit, Plures MUSARUM Temporibus Hederas, quàm alii Laurus ſuis ingeſſêre, fecitque, ut, quò minùs militum ſuorum Tela pervenerint, eòdem Lingua & Gloria GALLIÆ penetrarent.

Magna profectò iſta ſunt, digna quæ etiam in Hoſte ſuo laudet, minora tamen, quàm quibus invideat Noſtra BRITANNIA.

Noſtraſne cuiquam aut Armorum aut Ingenii Gloriam ATHENAS invidere, Ipſas Tali ſub MINERVA maximè invidendas, quæ non modò firmiſſima Belli Præſidia, verùm etiam pulcherrima Pacis Ornamenta, neque materiam ſolùm, ſed & Animos VATIBUS miniſtrat?

Ingratus

Ingratus autem in SUPEROS, Ingratus in PRINCIPEM, in MECÆNATEM, in MAJORES denique Sanctiſſimos viderer, qui hâc tam piâ Liberalitate, & noſtro Otio, & ſuæ Memoriæ optimè conſuluêre, niſi, hoc in loco, Veſtram etiam, ACADEMICI, VOBIS Felicitatem gratularer: VESTRAM præcipuè, JUVENES, qui recentes nuper LAURUS, quadriennis penè laboris ſpem, & Mercedem reportâſtis.

Apoſtrophe ad Juvenes Baccalaureatûs Gradu nuper honeſtatos.

Vos immenſum penè Æquor feſtinatâ maturitate præcipites confeciſtis: ſed trahebat ſua quemque DAPHNE APOLLINEM: Eadem Illa, quæ nunc in Amplexibus, ſemper in Votis, in oculis ſemper verſabatur.

Vos obſtantes etiam ALPES fortiter perrupiſtis, ſed quas VESTER Ille HANNIBAL tentavit, patefecit.

Pergite, eodem DUCE, eaſdem laurus ſtrenuè mereri, nec ſinite, ut Victoriæ Veſtræ aliis, quàm quibus Natura, finibus terminentur.

Has ſine tumultu Victorias, hos ſine ſanguine Triumphos Labori & Virtuti VESTRÆ proponite, & conquiſita tandem ex tam felici MARTE ſpolia, ſanctiſſimis hiſce MUSARUM Altaribus, VESTRIQUE ſimul Nominis Memoriam ſeræ POSTERITATI conſecrate.

INJUSTE in EXILIUM profectus est OEDIPUS.

Reverende admodùm PRÆFECTE,
Viri Doctiſſimi Spectatiſſimique
Corona quaquaversùm florentiſſima.

UTINAM DII IMMORTALES feciſſent, ACADEMICI, ut infelicis OEDIPI Virtus aut in Civitatem minùs ingratam, aut juſtiora certè Fata incidiſſet! Utinam, quanto Ipſe PATRIAM Honore, SUPEROS Religione, ſemper ordinaverat, tantum ab illis etiam, hinc Fidelitatis, Felicitatis inde, percepiſſet!

Tunc enim ſociam Vitæ FORTUNAM, mortis comitem GLORIAM habuiſſet: Non jam de Illo PATRIÆ reſtituendo laboraremus, per quem PATRIAM PATRIÆ reſtitutam videmus: non jam Cadaveri Sepulchrum, ſed VIRTUTI Monumentum quæreremus, neque tam de juſtitiâ ſuppliciorum, quàm Præmiorum dignitate hodie contenderemus.

Verùm

Verùm invidit ſummæ Fortitudini parem Felicitatem arcana DEORUM Providentia, fecitque, ut quantum Admirationis Virtuti, tantum Calamitati Miſericordiæ deberetur.

Præclarè autem ingratæ Civitatis Injurias, præclarè infelicem PATRIÆ cuſtodiam POSTERITATIS memoria conſolabitur, ſi, ut ab illâ Fortunarum, ſic a VOBIS etiam Gloriæ diſpendium patiatur.

Patiatur autem, niſi multa quidem præclara, quædam etiam infelicia, nihil unquam ſceleris, omnia denique ita egerit, ut, quæ laudem mereantur, Ea non FORTUNÆ, ſed CONSILIO, ſed NECESSITATI tribuenda eſſe videantur.

Gratulanda profectò, ſi minùs THEBANIS, at ſua certè OEDIPO Felicitas fuiſſet, ſi Divina Illa Vis & Sapientia tantam aut PATRIÆ ſalutem, aut ſibi exitium non attuliſſet: Si aut obſcuræ SPHINGIS Ambages OEDIPUM, aut ſeipſum OEDIPUS latuiſſet.

At! At! (proh DEUM atque Hominum Fidem!) uno eodemque Ingenii ictu monſtri ruinam urget, & ulciſcitur: Fit Ipſe ÆNIGMA OEDIPUS, dum aperit, tutus etiam Ille, dum lateret, nec niſi patendo tantùm periturus.

Patuit autem, per ſe etiam patuit, veruſque ſibi Ipſi tandem factus eſt OEDIPUS. Patuêre Inceſta Fatalis iſtius Thalami Silentia, quæ infelici LAIO Mœchum, & Parricidam, JOCASTÆ Filium, & Maritum, OEDIPO denique Fratres, & Liberos deformi partu edidêre: Patuit prodigioſum illud Sobolis idem, & malorum Incrementum.

Urget

Urget eadem Fortuna, quæ cepit; Accelerat novum mœrorem, nec patitur Hominem calamitoſum uno modo affligi, uno in luctu perire. Plorat in unâ Fœminâ Conjugem Maritus, Filius Parentem, OEDIPUS JOCASTAM: cujus ſimul oculos deformi laqueo compreſſos aſpexit, ultrò effodit ſuos, dulcemque lucis uſuram ſibi eripuit, quam expiranti PATRIÆ miſer reſtituerat.

Has pœnas innocenti Domino inflixit injuſtus OEDIPI dolor, quum jam ſuâ penè intemperantiâ ebriùs hoc ſibi unum in malis reliquum fecerat, ut PATRIAM tangeret tamen, quam non videbat ampliùs. Hoc quoque ingrati Cives Cuſtodi ſuo ademêre, neque ullum ei in Civitate locum permiſêre, qui optimum meruiſſet, cui primum ipſi pro ſalute ſuâ ultrò detuliſſent.

Expellitur, Ejicitur, Exterminatur; Procul a DIIS PATRIIS, procul a Cognatis, procul ab Amicis miſer abigitur, quos omnes a communi periculo auſus eſt defendere, fruſtráque a Surdis DEORUM Altaribus idem, quod ipſe dederat, præſidium repoſcit.

O miſerum, & infelicem illum OEDIPO diem, quo STYGIAM iſtam Peſtem, incertâ Voce certam Civitati ruinam minitantem, extructáque * Sono Mænia Sono quatientem, indagavit, patefecit, protulit, extinxit! O falſam ſpem! O præpoſteram gratulationem! Quàm citò iſta omnia ex lætitiâ & Voluptate in luctum & lachrymas ſubitò reciderunt!

* *Amphioneo Plectro.*

Hæc

Hæc tandem ex præclarâ illâ Victoriâ, & debellato Portento spolia reportat OEDIPUS, ut ipse pro Portento statim habeatur, hanc pro depulsâ Peste mercedem, ut tanquam PATRIÆ Pestis ab omnibus evitetur.

Quid agitis, O THEBANI? quid Audetis? quid in innocentem OEDIPUM sævitis? Siquid in illo sceleris, siquid exilio dignum deprehenditur, VESTRUM hoc agnoscite.

Num de Incesto pœnas sumitis? At ipsi feciſtis: Vos, inquam, eo die incestum OEDIPUM feciſtis, quum Filii Victoriam Materno Thalamo compensâstis. Vos fatales istas laurus obscuro, etiam dum dediſtis, crimine contaminâstis: Cavete autem, Cavete, ne iisdem ipsis Ornamentis, quæ in Virtutem OEDIPI contuliſtis, ad crimen ejus turpiter abutamini.

An verò de Parricidâ? Vos, Vos appello, Sanctissima DELPHICI APOLLINIS Oracula, quæ, in LAII occasu, de crudeli istius metu triumphâstis; Vos, inquam, Testes, quali tum Animo a VOBIS OEDIPUS discesserit, quum falso timore falsos Parentes fugiens, in ignotas THEBAS, cænumque crimen properaret: Quum, ne Parricida fieret, CORINTHUM, vestrasque minas Præceps evitaret, non futurus Parricida, nisi evitâsset.

Ignoscite pio errori, Judices; THEBIS offendit OEDIPUS Parentem, quem CORINTHI reliquerat, quodque domo fugerat, ne perpetraret, domi facinus perpetravit: Sed quis tum LAIUM OEDIPI Parentem, quis THEBAS Patriam suspicaretur?

Audiit

Audiit extemplò CITHÆRON innocentem Alumni ſui Victoriam; Audiit Filium Paternæ crudelitatis non conſcium vindicem, lætoque nutu ſera illa quidem, ſed juſta ſupplicia comprobavit.

Vos etiam, SUPERI, qui non tam ex eventu, quàm conſilio ſcelus æſtimatis, Vos, inquam, innocentiam OEDIPI felici omine defendiſtis: Nam, ſi Parricidium illud, ac non potiùs fatalis quædam Neceſſitas, appellandum fuit, nunquam DII IMMORTALES, credo, admiſiſſent, ut eadem dextra LAIO exitium, THEBIS ſalutem afferret, ut per eum Hominem PATRIA reviviſceret, qui ſeſe recenti PATRIS funere contaminaverat: Nunquam profectò tam nefario ſceleri tam glorioſum facinus indulſiſſent.

O diſparem longè tuam, infelix OEDIPE, Fortunam, ſi per Parentes potiùs Infans, quàm per Filios Senex periiſſes! Si Paternus ille Satelles crudeli pietate Naturæ potiùs, quàm Domino, ſibi, quàm Regi, non obtemperâſſet!

Altè, Altè nunc Vulnus illud adactum eſt: Te enim hodie LAIUS, non jam per militem, ſed per Liberos, non clam in CITHÆRONE, ſed apertè in SENATU, mortuus etiam, interficit. Heu! Paternæ crudelitati ſera quidem, ſed pura, ſed caſta Victima occumbis!

FAVETE autem, POSTERI, FAVETE juſtiſſimæ huic infelicis quidem hujus, ſed & Optimi Principis importunitati: Date, per DEOS IMMORTALES obſecro, Date huic miſero hanc veniam, ut, cui de THEBANIS maxima mereri contigit, a VOBIS parva

quædam impetrare poſſit: ſinite, ut quoniam integras non licet, at afflictas Fortunas OEDIPO gratulemur.

Non ſuperba a VOBIS, (quæ tamen ab omnibus debentur) Gloriæ Monumenta, non laudis Inſignia, non denique, ut pro ingratâ Civitate mortuo tandem Parenti perſolvatis quicquid ipſa Vivo non perſolvit, non jam ſalutis ſpem, ſed exitii ſolatium petit: Non rogat OEDIPUS, ut ne ſit miſer, dummodò impunè miſerum eſſe liceat: Careat profectò PATRIA, quam eo fato natus eſt ut conſervaret; ſed ſine crimine careat, contentus etiam malis, dummodò (quod unum poteſt) hoc quoque ne accedat malis, ut iiſdem dignus videatur.

Poſtremò, proſpicite, JUDICES, (id quod ad hujus loci dignitatem maximè pertinet,) ut ex veſtris ſententiis Omnes hodie facilè intelligant, neminem profectò, quàm Vos, juſtiorem aut NECESSITATI Veniam, aut VIRTUTI mercedem tribuere.

—VIRTUTEM

—VIRTUTEM amplectimur Ipſam,
PRÆMIA ſi tollas———

Reverende admodùm PRAEFECTE,
Viri Doctiſſimi Spectatiſſimique
Corona quaquaversùm florentiſſima.

QUANQUAM omnia benè & ſapienter, omnia Optimo conſilio a DIIS IMMORTALIBUS proviſa atque comparata ſunt, tamen illud imprimis, ACADEMICI, quum COELO digniſſimum, tum NOBIS utiliſſimum inſtituiſſe videntur, ut per quos Gradus propiùs ad DEORUM Naturam, per eoſdem ad DEORUM etiam Felicitatem proximè aſſurgeremus.

Propitii quidem ILLI, qui communem Hominibus ſecum Felicitatis Fontem non invideant, neque alias NOBIS Beatitudinis Leges impoſuerint, quàm quibus Ipſi NUMEN ſuum ultro ſubjecerint.

VIRTUTI enim debetur, quòd SUPERIS placet, VIRTUTI, quòd ab HOMINIBUS affectatur Immortalitas; ſine quâ, neque Illis jucunda, neque Nobis exoptanda videretur.

Non ergo Tuo Iſti, EPICURE, non Tuo, HOMERE, JOVI, Huic ſegniter Otio, Vitiis Illi turpiùs indulgenti, ſed OPTIMO MAXIMI cognomen adjunximus: Utroque Sacer nimirum Titulo DEUS; Sed quorum Alterum Alteri acceptum referat, non futurus Ille MAXIMUS, niſi priùs OPTIMUS fuiſſet.

Nefas ergo, ACADEMICI, precariam Illi Felicitatem tribuere, unde etiam SUPERI ſuam acceperint; Nefas, inquam, VIRTUTEM FORTUNÆ ſubjicere, a quâ DII Ipſi IMMORTALES pendere quodammodò non erubeſcant.

Veneremini potiùs, AUDITORES, Veneremini Triumphantem de FORTUNA DEAM: Suſpicite, ut tantum VIRTUS ſupra FATUM ſublimis evehitur, quantum IPSI Homines ſupra Homines evehere conceditur.

O Felicem quidem Illam, quòd per ſeipſam Felicem eſſe liceat, ſi per alios ſtaret, certè Infeliciſſimam!

Quanquam enim multos Divino propè Ingenio Viros, qui aut PATRIAM Publicâ, aut Vitam privatâ VIRTUTE exornârunt, Præſentes Imaginibus, Defunctos etiam Templis ſua non ingrata ſæcula honeſtârunt; Multos etiam in DEORUM numerum poſt Mortem relatos non ſine voluptate quâdam POSTERI accepimus, qui Vitam DIIS IMMORTALIBUS ſimillimam egiſſent; Quoties tamen eadem Illa FORTUNA iniquo Arbitrio maxima Impietati Præmia, VIRTUTI ſupplicia adjudicavit?

Heu!

Heu! Quoties, quoties (neque enim ſine dolore aliquo aut ipſe referre, aut Vos, ACADEMICI, recordari poteſtis) Quoties, inquam, Ipſi VIRTUTEM ſub difficili Temporum Iniquitate laborantem deflevimus? Quoties ad ea Ipſa Altaria indigno Fato Victimam cadentem, in quibus Ipſa Victimas ſibi immolandas tantùm non meruiſſe videbatur?

Aſpeximus!. & pene DEOS Ipſos piâ Temeritate Stulti incuſavimus; Ignari interea, quid Gravitas, quid Integritas, quid Magnitudo Animi, quid VIRTUS denique Ipſa valeret, quæ quidem in Tempeſtate Tranquilla, in Tenebris non obſcura, Triumphat.

Quorſum tandem, DII BONI, quorſum a VOBIS afflictæ VIRTUTI Præſidium, quorſum in Proſperam Impietatem Fulmina depoſcimus? Quaſi verò ſuâ aut Hæc mercede, aut Illa ſupplicio carere poſſet; Quaſi verò quiſquam aut gratis Bonus, aut impunè Malus unquam extiterit. Sat nimirum Illi Pœnarum eſt, Pœnas meruiſſe; Huic verò Felicitatis, Felicitate dignum videri.

Repone Tela, PATER, Repone etiam Præmia; neque enim Te aut Iſtius Calamitas Vindicem, aut hujus Felicitas Remuneratorem deſiderat.

SALVE, O Sanctiſſima Vitæ Humanæ Regula eadem, & Magiſtra PHILOSOPHIA! Salve, O Doctiſſima VIRTUTIS Indagatrix, Vitiorum Expultrix caſtiſſima!

Quàm longè unus Dies ex Præceptis Tuis rectè inſtitutus peccanti Immortalitati anteponendus eſt!

His

His nimirùm Servire, unica LIBERTAS: Quid dixi? His ſe minorem qui gerit, IMPERAT: IMPERAT, inquam, ſi Imperat Is, qui ità vivit, ut non modò non Homini, ſed ne Cupiditati quidem ulli inſerviat; neque enim illum ſervire dixerim, quem FORTITUDO a Timore, quem TEMPERANTIA a Libidine vindicaverit.

Accede VIRTUS, Accede propiùs: Sine hiſce ulnis NUDAM amplectamur. Quid erubeſcis? An verò Tuæ Te Paupertatis pudet? At indotatam ultrò excipimus. Non Opes, non Honores, non Potentium denique Amicitias depoſcimus: Nihil horum eſt, quod non Fortuna etiam cum Improbiſſimis communicare ſoleat. His fortaſſe cares omnibus; Sed, quod una potes, quod unum peto, id mihi certè largiris, poſſe contemnere tamen, majoremque ex hiſce carendo, quàm ex poſſidendo alii, Fructum percipere.

Utrum tandem, ACADEMICI, MAGNI Cognomen rectiùs meruiſſe putatis, ALEXANDRUM Illum, qui totum Terrarum Orbem facilè debellaverit, an DIOGENEM, qui faciliùs contempſerit?

O Fortunatum PRINCIPEM, ſi, poſt omnia proſperè geſta, Victoriis Ipſe ſuis victus non ſuccubuiſſet! O PHILOSOPHUM verè Victorem, qui non modò ſine FORTUNA, ſed de FORTUNA etiam inermis Triumphaverit.

Non ergò tam ſuâ, quàm Reipublicæ Cauſâ privatæ VIRTUTI publica Ornamenta depoſcimus: Pro Te, PATRIA, pro Nobiſmetipſis vota facimus, quoties

quoties pro VIRTUTE precamur piè: Neque enim Ipſa officioſa Amicorum vota deſiderat, Major, quàm cui FORTUNA aut Invidia detrahere, aut Liberalitas adjicere poſſit.

Illa, Sepulchralis adinſtar Lampadis, Immortalem ſibi Flammarum materiam ſuppeditat; Sepulta etiam vivit, &, velut ÆGYPTUS altera, propriâ Ubertate, ſuoque NILO fertilis, Pluvium contemnit JOVEM.

Sed quorſum hæc urgemus? Quorſum Fruſtra diſputamus, ACADEMICI? Quaſi verò externis Illa Præſidiis indigeat, quam multi Fortes & Sapientes Viri, non modò nullis commendatam Ornamentis, verùm etiam multo ſeveram vulnere, ſævoque Mortis Terrore horrentem deamârunt.

Reviviſcat tandem REGULUS, Maximum ſui decus, noſtri Opprobrium ſæculi; VIRTUTIS Ille, ſiquis alius, pretioſus Emptor, VIRTUTIS idem, ſiquis alius, Egregiè tenax.

Reſurge tandem, SOCRATES, ingens ATHENARUM Crimen & Gloria. Ex his, ACADEMICI, Ex his Virtutem, hinc Fidem, hinc Conſtantiam ediſcite; FORTUNAM ex Aliis.

Quòd ſi Mors VIRTUTI turpis, ſi SAPIENTI miſera accidere poſſet; Si graviſſimis IPSE ſupplíciis moveri, ut fortiter aliquando feciſſe pœniteat, tum verò miſerum profectò SOCRATEM, tum verò Infelicem REGULUM meritò appellaremus.

At non eſt, O FORTISSIMI, dum vixiſtis, nunc verò etiam SANCTISSIMI HEROES, non eſt, quòd

Vos

Vos aut miſeros, aut Infelices unquam appellare auſim: Non eſt, cur Fortunatam Iſtam Mortem, quam NATURÆ debitam pro VIRTUTE ſtrenuè reddidiſtis, Miſericordiâ aliquâ, ac non Invidiâ potiùs dignam exiſtimemus.

Rectiùs certè VOBIS miſeranda iſta Nomina, Rectiùs noſtræ lachrymæ conveniſſent, ſi Tu, ROMANE, ROMAM iſtam Tuam perjuræ potiùs ſalutis, quàm CARTHAGINEM honeſti ſupplicii Teſtem elegiſſes, ſi ATHENIS Ille cum Improbis regnare, quàm cum Bonis pati maluiſſet.

Jam verò Veſtra Illa VIRTUS quanquam non mortem Ipſam, at Infamiam certè a VOBIS, & Crudelitatem omnem Mortis propulſavit. Vulnera quidem pertuliſtis, ſed honeſta, ſed levia, ſed quæ ex VOBIS Ipſis nimirùm innocua eſſe didiciſſent.

Heu! Nimium, nimium crudeli Fatorum Inclementiæ, non de VIRTUTE, non de Vobiſmetipſis, ſed de Corpore tamen Veſtro licuit. Incluſus nempè DEUS aliquam ſaltem loci Religionem Sacrilegis incuſſiſſe debuerat. Deſpexit MAGNUS HOSPES Impietatem Altaribus inſultantem; Deſpexit in ſuum etiam Numen vano impetu nefariè furentem: Deſpexit, &, mediis Ipſe ſecurus in Ruinis, de impotenti Injuriâ MAJOR Triumphavit.

Talem ſe VIRTUS nobis honeſto Sanguine non indecora commendat: Talis, ſæviſſimâ etiam in Tempeſtate amabilis, iratis, ſeu VENUS altera, Fluctibus invehitur.

O Fortunati

O Fortunati JUVENES! (ſinite enim, ACADEMICI, ut Veſtram Vobis Felicitatem paucis gratulemur) quibus non modò non Nocet, ſed etiam prodeſt eſſe Bonis: apud quos, nullum certius indicium eſt, Honores quempiam meruiſſe, quàm quòd adeptus eſt.

Quòd ſi tamen privata cujuſquam VIRTUS MECÆNATIS noſtri Liberalitatem inobſervata fortè præterierit (Quanquam Cujus tam privata unquam Induſtria fuit, quæ MECÆNATEM latere poſſet, nullius, præterquàm Suæ, VIRTUTIS immemorem?) Sed ſi fortè præterierit, hoc tamen ſe ſolatio fortiter ſuſtentet, MAJOREM aliam VIRTUTI Mercedem non contingere, quàm MAXIMAM meruiſſe.

FINIS.

O Fortunati Juvenes! (finire enim, Academici, ut Veltram Vobis Felicitatem paucis gratulemur) quibus non modò non Nocet, sed etiam prodest ejs Bonis: apud quos, nullum certius indicium eſt, Honores quemplam meritè, quàm quòd adepus eſt.

Quòd ſi tamen privata cujuſquam Virtus Mediocritatis noſtri Liberalitatem inobſervata forè præterierit (Quandquam Cujus tam privata unquam Indultria foit, quæ Meditatem latere poſſit, nullius, præterquam Suæ, Virtutis immemorem?) Sed ſi forè præterierit, hoc tamen ſe Collegio fortiter fulcenet, Majorem aliam Virtutem Mereeden non conſequi quam Maximam meruiſſe.

FINIS.

GU66 7